EXERCITATIO IVRIDICA
DE
DELINQVENTE CONVICTO LICET NON CONFESSO POENA ORDINARIA AFFICIENDO

QVAM



RECTORE MAGNIFICENTISSIMO
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO

DN. GVILIELMO HENRICO

DVCE SAXONIÆ, IVLIACI, CLIVIÆ, MONTIVM,
ANGARIÆ, GVESTPHALIÆ, ET RELIQVA

SVB MODERAMINE

NIC. GVILIELMI DRESSELII D.

IN INCLVTA AD SALAM ACADEMIA
PVBLICÆ ERVDITORVM DISQVISITIONI
SVBMITTET
AVCTOR ET RESPONDENS

IOANNES FRIDERICVS SCHNEIDER

ONOLDO - FRANCVS

D. XXVII. APRIL. A. O. R. MDCCXXVI.

LITTERIS MVLLERIANIS.

ILLVSTRISSIMO,

PERILLVSTRIBVS, ATQVE GENEROSISSIMIS,

EXCELLENTISSIMISQVE;

DOMINO,

JOHANNI FRIDERICO

S. R. I. COMITI DE

CASTELL

in Rüdenhausen...

Marchionatus Onoldo - Brandenburgici Gubernatori, pariter ac Miniſtro Status intimi & Regiminis Tutelaris ſupremo, Præſidique eminentiſſimo, itemque primariæ Dynaſtiæ in Creylſheim, An- und Lobenhaußen, Moderatori ſpectabiliſſimo:

VT ET

DOMINO

CHRISTOPH. FRIDERICO,

LIBERO BARONI

DE SECKENDORFF,

S. R. Imperii Libero Equiti, Domino in Unternzenn/Egenhaußen/Altenbernheim/Sereniſſimæ Domus Brandenburgo Onoldinæ Miniſtro ſtatus intimi & ſupremi Regiminis Tutelaris graviſſimo, Tribunalis aulici Præſidi ſumme inclyto, Dynaſtæ Præfecturarum, Uffenheim/ Mainbernheim/ Prizenſtatt / Caſtell / Stephansberg & Gibelſtatt digniſſimo: ut & Adminiſtratori Dirigenti in Hailsbronn:

NEC NON

DOMINO JOHANNI

LIBERO BARONI

DE BREHMER,

Sereniſſimæ Domus Onoldinæ, ejusdemque Regiminis ſuperioris Tutelaris Intimo, Rerum Provincialium ſummo Directori ſplendidiſſimo, Sereniſſimique Principis hereditarii Gubernatori ſupremo exoptatiſſimo:

ITEMQVE

ITEMQVE

DOMIN. JOHANNI PHILIPPO Baumgartner,

Marchionatus Brandenburgo - Onoldini ejusdemque Status & Regiminis Tutelaris Consiliario intimo, Dicasterii aulici Senatori & Seniori ingenua fide clarissimo, pariterque Consessus Consistorialis & Ecclesiastici Præsidi perquam Magnifico maximeque Venerabili:

SIMILITER

DNO. GEORGIO CHRISTIANO A Seefried,

Ministro summe laudati Marchionatus ejusdemque Status & Tutelaris Regiminis Intimo, Judiciique aulici, nec non Collegii Provincialis Consiliario spectatissimo:

PORRO

DOMINO

CHRISTOPHORO HENRICO Schweser,

Consiliario Intimo Status Consessusque Tutelaris ut & Collegii aulici, nec non Curiæ feudalis Clarissimi Marchionatus Onoldini supremo præposito famigeratissimo, summe Venerando:

PARITER

DOMINO GEORGIO NICOLAO
Appoldt,

Consiliario Intimo status & Regiminis Brandenburgo-Onoldini Tutelaris gravissimo, itemque aulici atque Feudorum Collegii Administro celebratissimo:

VNAQVE

DOMINO JOHANNI CONRADO
Schemel,

Consiliario Status & Regiminis Onoldini supremi Tutelaris intimo ut & Tribunalis aulici optime merito:

AEQVE AC

DOMIMO JOHANNI SAMVEL
ROSA,

Consiliario semel atque iterum ac sæpius nominati status Regiminisque Tutorii supremi intimo, aulicique Dicasterii Consultissimo intentissimoque.

Dominis meis, Patronis atque Promotoribus gratiosissimis & omni subjectionis, obsequii & reverentiæ cultu ætatem devenerandis & prosequendis

Periculum hocce Academicum
humillima observantia & devotissima mente
offert & consecrat
infra scriptus Auctor.

De



E eligendo Themate differendi academico meditans, non equidem, quod nam præstantissimum & ex vasto Juris materiarum exquisitiori commentatione dignarum, cumulo, decerpendum sit, diu hæsi dubius; sed, cum ex amantissima patria, inter alias Constitutiones provinciales saluberrimas, oculis animoque sese obtulerit novior illa ordinatio Brandenburgo-Onoldina ejusque prædeliberatissima additamenta novissima, ad investiganda, compescenda & punienda maleficia in diem ubique Terrarum magis accrescentia, publice edita, habui primum, quo attentissimam vestram sollicitudinem, Viri maximi, exoscularer, quam inter infinita publica aliaque ardua negotia una exactissime impenditis pro munienda tranquillitate publica, sub augustis auspiciis Principis nostræ Serenissimæ & Clementissimæ, CHRISTIANAE CHARLOTTAE, Viduæ Marchionis ultimo defuncti felicissimæ memoriæ, natæ Ducissæ de VVurtemberg * * * Tutelare Regimen Marchionatus Onoldini supremo fastigio gubernantis, cujus virtutes adorabiles & Dona animi exuberantissima, ac exinde resultantem assiduitatem infatigabilem, Consiliis vestris præstantissimis adjutam, prudentiamque in dirigendis, discernendis, & exequendis negotiis præeminentem fama publica miratur æque ac

dignissi-

dignissimis prædicationibus ad sidera usque merito extollit, Felicem, sub felici hoc moderamine, & mihi prædicare fas sit, felicissimæ Indolis & spei admirabilis Serenissimum Principem nostrum hæreditarium Juvenem, CAROLVM VVILHELMVM FRIEDERICVM, Marchionem Brandenburgicum, exquisitissimis dotibus animi & corporis renitentem, non nisi magna promittentem, omniumque venerationem, admirationem, & expectationm mirifice sibi attrahentem; Felicem patriam! summis Ejusdem gubernaculis divinitus destinatam, Felicem me, cui natale ejusdem solum, unaque & spes lætissima ex longinquo cum innata aviditate contigit, aspirandi olim, si Deo & gratiosissimæ Ejusdem Clementiæ placuerit, ad servitia & officia Ejusdem & patriæ, debilitati humerorum meorum paria. Habeo post hæc, per triennium in per scrutandæ legitimæ scientiæ studio hic subsistens, campum amplissimum, pace vestra, excurrendi in spinosam istam materiam, quæ occupatione vestra dignum præbuit objectum, & in Rubro disputationis hujus conspicua apparet Equidem nullus dubito, quin magis arrideret pluribus in favorabili ortu & incremento hominis, in promovenda acquisitione lucri & opulentiæ societatis humanæ potius, quam in odiosa destructione & sanguine ejusdem, in accelerando dispendio Vitæ, Famæ unaque bonorum; vires Ingenii mei perspicere; sed ignoscant, rogo. Isti

&

&Vos met ipsi, Patroni maximi, si a proposito, cujus in prudentissima Constitutione principes mihi fuistis auctores, haud desistam. Nec enim de glande legenda, de calce coquenda, aut arena fodienda sed de re ad publicam potissimum salutem spectante agitur, idque unice intenditur ut conserventur boni, exterminentur mali, societas humana honeste partis secura fruatur, & Violatores ejusdem, unaque securitatis publicæ, per legitimos tramites e medio tollantur. Innumeris equidem opus, quod suscipere ausus sum, involutum cerno difficultatibus, indeque lubens agnosco, fateorque, magnum mihi, saniorum atque æquorum dum expecto virorum judicium, simul periculum esse metuendum; attamen vestrâ, Mæcenates maximi, autoritate subfultus, conferre & digerere mihi licebit pro modulo ingenii, cum depromtis aliunde assertis, meisque exiguis conatibus, oblata subsidia ex laudatissima ista ordinatione profecta, spe certa fretus, fore ut & animi & favoris vestri magnitudine virium mearum defectum benignissime suppleatis. Redeat ergo ad vos, Viri gratiosi, quod primos ortus Vobis fert acceptos, & suscipite, quæso, gratiosa ac indulgentissima fronte hasce fructuum academicorum primitias, quas in subjectissimi & grati animi Documentum ad Excellentissimorum Nominum vestrorum aram humillime depono: Deum O. M. supplicans, ut Vos met & gentem Vestram, ut & Actiones & Con-

silia

silia vestra prudentissima, coelesti benedictione & prosperrimo semper successu beare, meritaqua vestra insignia meritissimis præmiis pensare dignetur, vosque tandem ex omni parte beatos, salvos, sospitesque ad Nestoreos usque annos servet, quo, ut omnia alia taceam, singulari gratia, patrocinio, & favore vestro ulterius frui & me felicem gloriari possim.

ILLVSTRISSIME,

PERILLVSTRES, GENEROSISSIMI, EXCELLENTISSIMI,

GLORIOSISSIMIS VESTRIS NOMINIBVS,

Jenæ d.
1726.

Omni humilitatis & Devotionis cultu addictissimus

Joh. Friedr. Schneider.

I. N. D. N. J. C.

EXERCITATIO IVRIDICA

DE

DELINQVENTE CONVICTO, LICET NON CONFESSO, POENA ORDINARIA AFFICIENDO.

§. I.



Vod ait BRVNNEMANNVS *in dedicatione*, quam præmisit suo *processui Inquisitorio*, germanos jam diu illam gloriam, quam ipsis propter morum integritatem & Numinis reverentiam tribuit MACHIAVELLVS *Lib. I. Dispp. cap. 55.* decoxisse, hoc vel me tacente, præsens Germaniæ facies, & in quibus vivimus, tempora testantur. Improbitas, nequitia, omnisque generis scelera ad exsecrandum pervenerunt fastigium, adeo ut deplorare tantam hominum miseriem, an vero de remediis sollicitum esse, res æque tristis, ac desperata videatur. Quid mirum? de saluberrimis herbis aranea suum decerpit virus: aurea, quæ in nostra Germania pax radiat, improbo cuique nequitiæ pabulum est, otia, cetera honestissima, innumera dant vitia, & satanæ pulvinar sunt. Sic luxuriantur homines, sic frena affectuum laxant .:. quis tandem eventus, nisi luctuosus, erit metuendus? Tot incendia, tot furta atque ra-

 pi-

pinæ, tot latrocinia, & quæ sunt alia hujuscemodi facinora, testimonium præbent luculentissimum. Non solum vitiis mortalium communibus, sed ipsis criminibus cohibendis impar hodie respublica videtur. Vix enim ac ne vix quidem legitimi alias tramites, secundum quos in facinorosos animadvertendum, sufficiunt. Modus quippe procedendi in judicio per accusationem est rarior, dum nemo alterum, criminis reum, audet deferre, vel propter delinquentis potentiam, vel reorum multitudinem, ubi accusator justam, ne periculo se exponat, metuendi habet causam: huc accedit, multos ab accusationibus deterreri, ob probandi difficultatem, cautionis præstandæ necessitatem, dubium processus eventum, & expensarum in casum succumbentiæ restitutionem, KIRCHGESSNER *in tribun. Nemes. juste judicantis Part 3. c. 3. n. 3.* Neque est, ut omne punctum processus ferat inquisitorius. Equidem incommoda modo allegata non videntur obstare, difficultates tamen haud exiguas eum comitari, aperte ante oculos posuit THOMAS. *in dissert. de orig' proc. inquisit.* Segnius, quam par est, atque remissius instituuntur & tractantur inquisitiones, cujus mali rationes facile odorari est. Imo vigilantis & probi judicis circumspectio, publicorumque denunciatorum summa diligentia non raro admodum frustranea, ita, ut post horrenda & sæpius iterata nequitiæ specimina, exclamandum sit: abiit, excessit, evasit, erupit! Demus vero delinquentem in manus Magistratus pervenisse, quod tamen, si evenit, aut singulari Dei factum fuisse providentia, aut crassa ipsius delinquentis in periculis vitandis imprudentia, nobis persuademus, nemo propria statim confessione contra se pugnabit, & suimet ipsius fiet proditor, sed cum homo animal est sui conservan-

tissimum,

tissimum, facile erit delinquenti astuto, diversis argutiis, fictisque circumstantiis illudere judici, atque sententiam contra se ferendam, non dicam, differre, sed plane a se declinare. Ais, salutariter adhiberi torturam, eo in casu, siquis convinci nequit, nec etiam, indiciis gravatus, vult confiteri. Ita est; sed maxima etiam opus est cautione & maximopere videndum, quæstioni ne plus justo tribuamus: Audi judicium BRVNNEMANNI *in processf. inquis. cap. 8. membr. 5. n. 13.* Sane quæstio est res dura corporibusque hominum admodum noxia & quandoque lethalis: exempla passim extant eorum, qui, quæ nunquam commiserunt, fassi sunt & immerito sunt supplicio affecti: nam, inquit MELONIVS *in thesauro pract. juris Criminal. Tit. 47. n. 9.* facilius est a te mortem expetere, quam tormentorum crudelia sustinere: inter supremas anhelitus angustias melius est perire, quam vivere. Aliud vero hominum genus est durum, & immania quæque perferre patiens: de utroque ita loquitur VLPIANVS: Quæstioni fidem non semper habendam constitutionibus declaratur: etenim res est fragilis & periculosa & quæ veritatem fallat: Nam plerique patientia sive duritia tormentorum, ita tormenta contemnunt, ut exprimi eis veritas nullo modo possit: alii tanta sunt impatientia, ut quodvis mentiri, quam pati tormenta velint *l. 1. §. 23. ff. de quæst.* Notabilia sunt XLII. exempla, quæ IVST. OLDEKOP. *in fin. Obscrv. crim* de injuste tortis, & innocentissimo ad ultimum supplicium raptis, per appendicem exhibet. add. BODIN. *dissert. de usu & abusu tortur.* Hinc torturam, quam majores nostri jam olim germanice Unvernunfft reddiderunt, BOEHMER. *in Stbilt. illustr. L. 1. T. 19. §. 21.* ceu remedium sane rationi maxime repugnans e foris

præcipue christianorum eliminandam censuerunt, quo inprimis facit THOMAS. *in dissert. de tort. e for. christian. proscrib.* Hæc sane & similia usum torturæ licet tollere haud potuerint, id tamen operari debent, ut judici caute & provide sit eundum, ne in jure dicundo ejusdem limites excedat, torturam absque sufficienti indicio vel imponendo, vel confessioni, extraordinario hoc remedio extortæ, vel pertinaciæ delinquentis statim indubitatam fidem tribuendo: utroque enim casu, ni accurate examinaverit circumstantias, æque evenire poterit, innocentem condemnari, nocentem vero impunitum dimitti. Plus integræ testium fidei tribuendum esse, facile quilibet deprehenderit, qui utrumque, aut per quæstionem, aut per testes, eliciendæ veritatis modum accuratius contulerit. In republ. Hebræorum ignorabatur tortura, & regulariter solus testium usus frequentabatur, *Num. XXXV. v. 30. Deut. XVII. v. 6. & XIX. v. 15.* qua de re infra pluribus. Magnas tamen & circa probationem per testes occurrere difficultates, lubentissime concedo: etenim nemo tam projecta audacia esse solet, ut in committendo crimine spectatorum se exponat oculis; potius hominum præsentiam abhorrebit, loca captabit solitaria, saltem his deficientibus, rem astute aggredietur & opportuno insidiabitur tempori pro instituto caute expediendo: confer. GERARD. NOODT. *Probab. Iur. civ. L. IV. c. VII. §. 1.* Tunc ubi invenies, qui de visu deponunt seu uti exprimit *Ord. C. C. art. 56. 57.* Die von ihren selbeigen Wahren wissen sagen können, unde desumes probationem meridiana luce clariorem? *L. 16. C. de pœn. L. fin. C. de probat.* Hic labor hic opus est. Sed quid inde? Si enim per testes non semper perveniri potest ad pœnam ordinariam, potest tamen non raro ad extraordinariam, & quem fugit, de occultis

cultis nec Paullum Apostolum, nec Paullum ICtum iudicare debere.

§. II.

Quamobrem utique vitio vertendum maioribus nostris, nescio qua superstitione abreptis, per modos miraculosos criminum veritatem, eorundemque auctores investigantibus. Plerumque autem purgationibus in causis decidendis utebantur, Deum Iudicem provocando, ut signo ostenderet, utrum accusatus criminis reus esset, nec ne: Diversos purgandi modos ipsis solennes fuisse ex libris Historicorum cognoscere licebit. Huc referre potes, Ius feretri, vulgo Baar Recht: item iura ordalii, quæ consistebant im Kampff-Feuer- und Wasser-Recht: Iudicium crucis, panis vel casei consecrati, alias Corsned dictum; iudicium sortis ac sortilegii sacri, iuratorium, purgatio per iusiurandum ad SS. reliquias, ad sepulcra martyrum &c. Superstitio temporum hisce iudiciis multa miracula adscripsit, imo incredibilem tribuit virtutem. Quippe persuadebat sibi credula plebs, per isthæc solemnia ipsius Dei manifestatum iri iudicium, abdita cordis aperientis, detecta iusto supplicio vindicantis. Verum enim vero, licet concedamus, sanctissimo illo horrore, animis hominum semel impresso, multos qui convinci nullo modo poterant, pertinacia mentis deposita, sua sponte delicta fuisse confessos; negandum tamen non est, multos præfractæ frontis, nulla nec religionis nec Numinis reverentiæ inita ratione ad se purgandum obtulisse & cessante iudicii effectu innocentes fuisse habitos. Ut proinde isthæc inveniendæ veritatis remedia, contrariis tot exemplis perinde destrui possent, atque inveterato usu, & casibus dextere detectis nituntur perquam rarissimis. Tempora,

pora, quibus viguere iſta iudicia barbara fuerunt, & ſuperſtitioſa, quare etiam originem eorum omnem vel in minus recta de myſteriis naturæ, vel de ipſo Deo cognitione, vel cleri aſtutia ponimus. Atque ſi forte caſus evenit, quem etiamnum docere rationibus videbitur impoſſibile, aut miraculum fingimus, aut ipſum diabolum negotio immſcemus aut propter imperfectionem noſtram exclamamus: Quantum eſt, quod neſcimus! Ens ſapientiſſimum anima rationali hominem ornavit: utatur ergo eadem in delictis diiudicandis. Provocare Deum, ut miracula edat, & legem eidem præſcribere velle, impium eſt, & chriſtiano homini deteſtandum. Purgationis miraculoſæ notabile unicum in ſcripturis deprehendes exemplum divina ſanctione approbatum *Numer. V. v. 13. & ſeqq.* Inde vero argumentari velle ad iſthæc hominum inſtituta, abſonum foret. Ebræos ita felices eſſe contigit, ut Deus extra ordinem ſe illis manifeſtaret, iudiciis eorum præeſſet, imo legis a ſe latæ executorem ageret. Diverſa conditio eſt noſtrorum temporum, ubi Numen non amplius miraculoſo modo orbi præſidet, ſed oſtenſa iam priſco ævo ſui gloria & infinita potentia, nunc acquieſcit, hominique iudici externas aliorum actiones æſtimandi facultatem conceſſit. Sane, ſi etiamnum ipſi placeret extra ordinario modo occulta in lucem protrahere, procul dubio, præter reliqua, modo adductum nobis conſervaſſet iudicium, utpote quo fieret, ut non tantum in atrociſſimo adulterii crimine probandi difficultas ceſſaret, ſed multa etiam præſcinderetur occaſio, quo minus frequentius committeretur: verum quoties & hic iudicis deficiunt vires, memor ſit illius PAVLLI: πόρνους καὶ μοιχοὺς κρινεῖ ὁ Θεός *ad Hebr. XIII. v. 4.* Omnium tamen optimum & quodammodo excuſandum hoc

vide-

videbitur germanorum institutum, quando, deficiente probatione, purgatio rei fiebat per iuramentum, accedente pro delicti circumstantiis certo sacramentalium seu compurgatorum numero; approbatum non tantum iure canonico *c. 13. X. de purgat. canon.* sed etiam Feudali *2. Feud. 23. §. sacramentum:* imo *recessu imperii Trevir. & Colon. de anno 1512. Tit.* von Gotteslästerern. Ubi: Daß er glaube, wiewohl er die That dieser Zeit nicht beybringen könnte, daß solche Articul des Verdachts wahr seyn: *est Iuramentum actoris*, und so er das gethan hat, soll der Beschuldigte schuldig seyn, sich dasselbe mit dem Eyd zu purgiren. Und ob die verdachte Person also gröߧlich verdacht wäre, daß die Mitpurgirer nothdürfftig, das soll der Bescheidenheit des Richters befohlen werden, ihm die aufflegen oder nicht &c. *ratio annectitur hac:* Und ist solche Purgation darum dermassen gesetzt, damit der Beschuldiger desto förderlicher zu seiner Klage, und der Beschuldigte desto förderlicher zur Schuld oder Unschuld komme, auch solches an unsern Käyserlichen Cammer-Gerichte mit geringern Kosten, Mühe und Arbeit erlangt und vollführet werden möge. Sunt bona Imperatoris verba, quibus etiam calculum adiicerem, si, distinguendo delicta, essent concepta: in delictis levioribus huiuscemodi iuramentum suo usu haud careret; neutiquam vero, cui sceleratorum hominum perspectus est genius, illis verbis subscribet, si ad delicta etiam atrociora, Imperator ea velit extendi, quot & quicunque demum sint, qui iuramento credulitatis accessorio innocentiam alterius demonstrare contendant. intempestiva aliorum miseratio, amicitia, favor, gratitudo, pecunia &c. facile iuramentales compararent. ex parte delinquentis præsentissimus periurii metus urget, ut ne ad iurisiurandi reli-

gionem admittatur. Vix enim credibile eſt, tantam vecordiam innatam eſſe cuiquam, ut contumelioſam mortem ſubire malit, quam peierare. Ita cum iis philoſophari liceat, qui mundana magis quam cœleſtia cordi habent, atque ſummi numinis, mali vindicis, iram ſusque deque facere ſolent. Quibus cetera adhuc alium antiquum probandi delicta modum, quem Das Beſiebcn adpellabant, volupe eſt legere, adeat WEHNER. *ſub voce:* Beſiebcn. KIRCHGESSNER. *P. IV. c. VI.* §. *1.*

§. III.

Hæc & ſimilia paullo accuratius & æqua lance penſitans facile deprehendere poterit, patriæ quondam iuriſprudentiam in multis mancam fuiſſe atque erroneam, moxque in uno plus iuſto rigidiorem, mox autem in alio indulgentiorem. Laude igitur æterna mactandi ſunt imperatores & imperii ſtatus, ſanctiſſimi alioquin domeſticorum morum iuriumque cuſtodes, qui huius generis defectibus & nævis medelam adferre atque omnia in meliorem ordinem redigere ſollicite allaborarunt, non tam argumenta e peregrino Romanorum iure petentes, quam oculos ad ipſius rei indolem & germaniæ ſtatum dirigentes. Principem habemus auctorem Carolum V. qui, paſſim vitioſis conſuetudinibus immutatis, pleraque correctiora & pleniora per ſuam de criminibus conſtitutionem poſteritati definita reliquit; addita tamen inſigni clauſula: quod iuribus & ſtatutis aliis in æquitate radicatis nihil per eam derogatum velit. Doch wollen wir durch dieſe gnädige Erinnerung, Chur-Fürſten, Fürſten und Ständen an ihren alten wohlhergebrachten, rechtmäßigen und billigen Gebräuchen nichts benommen haben. Hoc iure in dubio utimur, ſi vero & nunc quidquam ſe ſiſtat

imper-

imperfectum, nec omnia effectum menti Imperatoris respondentem sint habitura, uti pessimo hoc seculo, ob crescentem hominum facinorosorum malitiam, novas & multifarias nasci delictorum qualitates & circumstantias, unde ius ipsum dependet, quotidie videmus, hominis esse leges atque bono principi non voluntatem sed vires defuisse, & cuilibet imperii statui spartam, in qua legislatoriam suam exerceat potestatem, relictam esse, cogitandum est. Inscrutabilia & immedicabilia, si quæ remanent, Dei iudicio committenda sunt. Deus iste vindicta, quæ licet lento procedat gradu, tarditatem, tamen supplicii gravitate, compensat: nam teste Poeta:

Ipse quid in cœlo, rerum pelagoque geratur,
Et tellure videt, totumque inquirit in orbem.

Neutiquam vero huius iudicio temere aliquid puniendum committat iudex, quanta quanta etiam in eruenda veritate emergat difficultas; sed omnibus delictis obicem ponere tenetur, & in id nervos intendere sedulo, ne frequentius committantur. Impetratu hoc erit haud impossibile, si, quod sui est officii, expendit, & in delicta pro viribus inquirit. Ideo enim gladii potestatem Deus magistratui concessit, ut eodem contra improborum insultus utatur, & innocentes tueatur *Rom. XIII. vers. 4.* quo resp. salva conservetur, civibusque bene sit *L. 51. §. fin. ad L. Aquil.* Unde etiam Paullus ait: semper in mandatis Principum est, ut curet is, qui præest, malis hominibus provinciam expurgare *L. 3. & 13. ff. de Off. Præsid.* Imo, qui merum imperium ex privilegio Principis habent, si negligentiores deprehendantur, eo privandi sunt, GRANZ *in def. inquisit. cap. 5. membr. 2. sect. 2. Art. 2. §. 57. p. m. 369.* quinimmo iudices, qui in inquirendo, data

occaſione, remiſſiores inveniuntur, litem ſuam faciunt, CLARVS §. *fin. quæſt.4. n.2.* & de ſyndicatu tenentur, PARIS DE PVTEO *tr. de ſynd. cap, I. n. 8.* CARPZ. *in pract. criminal. part.3. quæſt. 103. n. 52.*

§. IV.

Quodſi igitur iuxta normam in imperio noſtro præſcriptam in perpetratum delictum, non quodlibet vitium ethica cenſura dignum, a iudice, ad manifeſtandum puniendumve eius auctorem, inquirendum eſt, iuſtus ordo obſervari, & quodvis ὕστερον πρώτερον, quo fieri poteſt modo, evitari debet, qua in re veteres & recentiores ICti, iuxta provinciarum & regionum diſcrimina, iudices diligentiſſime inſtruunt. Actum ergo agere nolo, adducturus tantummodo, quæ propius ad ſcopum meum videbuntur facere. Per tranſennam indicandum eſt, quod in vulgus notum eſſe debet, præpoſtere agi, ſi inquiſitioni generali ſpecialis præmittatur, homines in iudicium & carceres rapiantur, imo in ipſam quæſtionem poſtulentur, vix ac ne vix quidem in criminis commiſſi ſuſpicionem adducti. Non imitemur antiquos Carinthios, qui de furto accuſatum vel ſuſpectum ſtatim in crucem agebant: dein triduo poſt iudicium ſuper pendulum habebant, & quidem nocentem in patibulo relinquebant, innocentem vero honeſte ſepeliebant. SABELLIC. *dec. 10.* ABEL. Seltzam. Gerichts-Händel *p. 2. caſ. 86.* PRAESES *in Comment. ad Schoepffer. tit. de furt. n. 54.* Magno ergo labore opus haud eſt, ad demonſtrandam inquiſitionis generalis neceſſitatem, dum neminem fugit, quanta ſit famæ iactura & quam caute hinc ſit eundum, ne cuiusque bona exiſtimatio temere in periculum vocetur: proinde vulgaris ſermonis prius diſcutiendæ ſunt caligines, eius origo eruenda,

vel

vel denunciantes ſunt audiendi, teſtes de corpore delicti interrogandi, de qualitate & circumſtantiis illius acute examinandi, quo omni exceptione, inſtitutæ contra ſe inquiſitionis, excludatur delinquens, ſibique ipſi proſpiciat iudex, ne actione iniuriarum conveniri poſſit. CARPZ. *q. 107. n. 66.* Nam quam diu in generalibus ſubſiſtit, ad nullius iniuriam ſpectare videtur inquiſitio BOSIVS *in Tr. criminal. Tit. de Inq. n. 38.* Interea non raro contingere caſus, in quibus ordinariæ & præliminares procedendi regulæ tranſiliri queant, imo debeant, ita ut iudex a citatione reali incipiat, & deinde per inquiſitionem generalem acta ſua inſtruere ſatagat, ambabus manibus largior. CARPZ. *qu. 108. n. 68.* Ceterum generali inquiſitione rite peracta, progreſſus fit ad ſpecialem, ſi defenſio pro auertenda ea fuerit fruſtranea. Iudex iam conficit articulos inquiſitionales, ſuperque eos præſentem reum interrogat & examinat, aliaque, quæ partium ſuarum ſunt, curate obſervat, de quibus planiſſime tractat LVDOVIC. *Introd. ad Proc. crim. c. V.* Quid adhæc inquiſitus? noſtine reorum eſſe fugere? negat ergo & pernegat, imo ipſo ſole ſe puriorem intrepide adſerit.

§. V.

Huncce inquiſitum nunc ſiſtimus neque confeſſum, neque adhuc convictum: non confeſſum, propter mentis pertinaciam; non convictum, propter probationis defectum. Quare eo ſedulo allaborandum, ut, ſi utrumque obtineri nequit, delinquens vel per propriam confeſſionem vel teſtes & aliis ſufficientibus modis convincatur. Etenim probationibus convictus non minus condemnari poteſt, ac ſi confeſſus eſſet crimen *Ord. CC. art. 62. L. 16. C. de pœnis* & paria ſunt, convictum quem eſſe aut confeſſum, CARPZ.

P. 3. q. 114 n. 1. Quod si vero, neglecto remedio convictionis ordinario, iudex temerario ausu ad torturam extorquendæ confessionis caussa convolat, reus in negatione perseverans, a poena ordinaria quidem est absolvendus, utpote multum infirmatis per torturam testium inculpationibus; BRVNNEM. *in process. crim. c. 8. m. 5. n. 14.* ne tamen prorsus impune id ferat, quod tormenta durum ipsius animum frangere haud potuerint, scilicet qui iam ante, vel deficiente propria confessione, legitimis utcunque aliis modis convinci, ultimoque supplicio debuisset affici, omnino pœna plectendus erit extraordinaria, mitiori, vel graviori, prout testium probationes delinquentem magis vel minus gravare videbuntur. CARPZ. *part. 3. qu. 125. n. 24. 25.* Quod autem *n. seq. 26.* CARPZOVIUS præiudicium adiungit, quo in atrociori homicidii delicto pœna relegationis fuit indicta, merito improbare videtur BRVNNEM. *ad L. 16. C. de pœnis n. 8.* absurdum dicens, posse iudicem errore suo homicidam a pœna ordinaria liberare. Interim quia nemo tormentis est lacerandus, nisi in subsidium aliarum probationum *L. 9. pr. ff. de quæst. L. 12. C. eod.* etiam hoc casu iudex de Syndicatu tenebitur ZANGER *de quæst. & tort. c. 5. n. 18.* PARIS DE PVTEO *tr. de synd. verb. tort. n. 2. p. 912.* Exinde facile apparet inter somnia vigilantis BODINI referendum esse, quando *in Lib. 4. Mag. Dæmanom. c. 2. fol. 571.* de germanis testatur, quod pessimus eorum sit mos, neminem, nisi confessum ab iis morte puniri, utut mille etiam testibus convictus fuerit; sed torturæ reum subiici, ut membris captus langueat toto vitæ spatio: verum deceptus est forte, ut sibi persuadet CARPZOVIUS *in pract. crim. part. 3. qu. 116. n. 36. & seqq.* per *art. 16. Ord. Crim. in verb.* So der Thäter die offen- unzweifentliche Ubelthat fre-

frevlentlichen widersprechen wollte, so soll ihn der Richter mit peinlicher ernstlichen Frage zur Bekäntniß der Warheit halten. mens verborum hæc est: Deprehensus in crimine flagranti notorio & manifesto, morte non debet multari, antequam confessio vi tormentorum vel alia ratione extorqueatur. Stopæ dissolutæ sunt. Nam dicta constitutio non loquitur de delinquente plene convicto aut per testes omni exceptione maiores, aut facti evidentiam, quando vix etiam ipse ea, quæ commisit, negare potest, *L. 16. C. de pæn.* quo potius spectat *art. 69. Ord. CC.* ubi longe diversum legimus sancitum: So der Beklagte nach gnugsamer Beweisung noch nicht bekennen wollt, soll ihm angezeigt werden, daß er der Missethat überwiesen sey, ob man dardurch sein Bekäntniß desto eher auch erlangen könnte, ob er aber darüber nachmals nicht bekennen wolte, daß er doch genugsam bewiesen wäre, so soll er nichts destoweniger/ der beweisten Missethat nach/ ohn einige peinliche Frag/verurtheilet werden. Sed iste *art. 16.* uti iam exposuimus, agit de delinquente in flagranti & manifesto crimine deprehenso, qui tamen ideo, quod v. gr. cruore adspersus & gladio stricto ad occisi cadaver reperitur adstans, non statim pro convicto habetur, sed si qualicunque exceptione, puta moderaminis inculpatæ tutelæ se tuebitur, ea probata sufficienter, aut absolvi; aut minus probata, vel alias factum pervicaciter negans, ad torturam trahi debet, quo delicti confessio extorqueatur, minimum purgatis per torturam indiciis quandoque sub pœna arbitraria dimittatur. Magis pro BODINO videtur militare *Ordinationis Brand. Criminal. articulus 81. ub.* So der Beklagte nach gnugsamer Beweisung noch nicht bekennen wolt, soll er alsdann vor der Verurtheilung mit peinlicher Frag weiter angezogen werden/ mit Anzeigung, daß

er

er der Missethat überwiesen sey, ob man dardurch sein Bekäntniß desto eher auch erlangen möchte &c. Siquidem hic super convicto ex abundanti tortura decernitur, ex quo haud inepte concludis, germanos neminem nisi confessum condemnare voluisse. Ita sane facile mihi persuadere patior, prisca tempora memoria repetens, ubi provida germanorum gens non lubrico, ut videri posset, convictionis fundamento inniti, sed in causis hisce gravissimis tutissimam viam calcare consuevit. Unde est, cum Imperator Carolus V. nihil derogatum vellet per suam constitutionem tolerandis aliorum consuetudinibus, ut etiamnum passim inveniantur loca, ubi convicti pœna ordinaria rarius coërcentur. Huiuscemodi instituti veterum germanorum dicta quoque constitutio reliquias exhibet. Nam cum omnium fere primi totius orbis teutonici essent Serenissimi Marchiones Brandenburgici Casimirus & Georgius piæ memoriæ, qui veteris iurisprudentiæ criminalis nævos & abusus constitutione in suis provinciis tollere tentarent, tamen tum temporis non videbatur consultum, omne id uno quasi ictu exstirpare velle, quod diuturnis germanorum moribus erat approbatum; sed cum id nunc publica lege sancirent, ut in posterum etiam convictis irrogetur pœna ordinaria, sicut ex eodem *articulo 81.* perspicue apparet: Ob er aber nicht bekennen wolt, des er doch gnugsam bewiesen wäre, so solt er nichts destoweniger der beweisten Missethat nach verurtheilet werden; in eo acquiescebant, retinentes torturam, ne tam insolita mutatione & inaudita hucusque lege haberet imperita plebecula, quo suspicari posset de crudelitate Principum tam rigoroso iure in subditos sævientium. Huic salutari instituto, cum postea prudentiores suum adderent calculum, evenit, ut Carolus

lus V. per totam Germaniam, ſecutus haud raro verbotenus conſtitutionem Brandenburgicam, iura criminalia reformaret, normamque præſcriberet, qua iudices in proceſſu caute inſtituendo uterentur. Inter alia & hoc translatum in ordinationem Caroli V. ut nunc convicti, licet confeſſi non ſint, pœnam ſupplicii ordinariam ſubirent, ſimul quoque, quod particulariter in ſuis provinciis abrogare verebantur Marchiones, nunc in genere per omnes Germaniæ regiones introduceret, ut delinquentes convicti condemnentur ohn einige peinliche Frag *d. art. 69. in fin. CCC.* Interim tantum abeſt, ut vitio poſſis vertere Brandenburgicis legislatoribus, quod retinuerunt tormenta. Nam utut nihil iniquitatis præ ſe ferunt in caſu, quo delinquens convictus, factum pertinaciter negare contendit, dum iſta tanquam pœnam contumaciæ conſideramus, tandem, ſi per torturam impetratur confeſſio, id efficitur, ut iudex eo magis in ſua ſententia confirmetur, quia nemo melius, ipſo delinquente, qui negotio præſens interfuit, proprii facti veritatem noſſe creditur: unde etiam confeſſio dicitur probatio probata. *L. ult. C. de fideicommiſſ. L. 13. C. de non numer. pecun.* Imo magis ipſimet delinquenti proſpicitur, ſi, confeſſione ſincere facta, periculum non eſt, fore, ut perpeſſus mortem temporalem, æternam ſimul incurrat damnationem. His præmiſſis, ad Bodini teſtimonium reſpondebimus, vel affirmando, vel negando, prout diſtincta temporum intuebimur intervalla. Atque, ſi de ſui ſeculi iſta germanorum teſtatur conſuetudine, fallit, fallitur que, pariter etiam, mores illorum minus recte ſibi compertos habuiſſe, indicat. Lubentius aſſentirem, ſi verba ipſius, ævum, quod præceſſit ordinationem Carolinam, reſpicerent, aut non adeo eſſent generalia, ſed

D ad

ad qualemcunque locum, vel regionem peculiarem restricta, de cuius observantia minus accurata nec ratio, nec exempla, nec aliorum & hodie abessent testimonia. Satis de hoc, ad maiora progredior, delinquens quomodo convincatur, demonstraturus.

§. VI.

Negotium operosum illum experiri, qui reum convincere vult, explorata res est: quippe sæpius non ius, sed probatio deficit *L. 30. ff. de Testam. Tutel.* actore vero non probante, qui convenitur, licet excipiendo nihil ipse præstiterit, absolvitur. *L. 4. C. de Edendo.* Operæ proinde pretium erit, modos probandi, convincendique altius perpendere. Probatio suos habet gradus, hinc, pro diversitate illorum, varie dividitur a doctoribus, vel in plenam, vel minus plenam. Hanc divisionem transgredi nolumus, sed eo omnes reliquos referre probationum gradus, non advertentes semiplenam probationem maiorem, nec minorem, utpote quod in civilibus suum usum potissimum habet, in caussis sanguineis arbitrio iudicis supplendum venit. Probatio, quam nos supponimus, de convicto locuturi, hoc loco debet esse legitima h. e. *plena & vera*, non minus plena aut ficta, utut in civilibus præsumtiones iuris & de iure insignem producunt effectum, in criminalibus tamen, qualescunque sint, pœnæ ordinariæ locum non faciunt, de quo suo loco fusius dicendum. Duos autem probandi modos, queis convincitur aliquis plene, constituimus, quorum alter duobus testibus omni exceptione maioribus peragitur *L. 12. ff. de Test.* alter per documenta avtographa, *L. fin. C. de probat. L. 15. C. de fid. Instr.* Quæstionem illam, an documenta in caussis criminalibus plenam probationem inferant, utpote dudum ex-

excussam, regustare nolo. vid. ANT. MATTHÆI *in tr. de crimin. cap. 5. n. 653.* Id tamen iuvat annotasse, non quælibet delicta ex iis probari, sed ea tantum, quæ immediate per instrumenta committuntur, sicuti fit in crimine falsi, hæreseos, proditionis peractæ *L. 22. C. ad L. Corn. de fals.* in libello famoso. *L 5. §. 9. 10. ff. de iniur. L. un. C de famos. libell.* litteris diffitatoriis Absag Brieffen &c. idem in officiali, qui muneris male gesti per libros rationum aliaque scripta est convincendus, ad usum transferri posse, tradit LVDOVICI *in introd. ad processf. criminal. c. 6.* §. 5. ut nullus dubitem, quin his casibus contra recognoscentem litteræ plene probent: aliud dicendum in iis delictis, quæ per eas indirecte contrahuntur: uti in periurio, homicidio ex mandato in scriptis dato; adulterio ex literis amasii ad uxorem alterius, aut ab ea super adulterio commisso ad istum exaratis ZANGER *de quæst. & Tortur. cap. 2. n. 212.* in crimine seditionis, læsæ Maiestis divinæ, proditionis nondum consumatæ GRANZ. *Cap. 5. m. 2. s. 3. art. 3. p. 369 - 70.* magiæ, BRVNNEM. *in processf. inq. c. 8. membr. 2. n. 9.* perduellionis & aliis pactionibus illicitis scripto comprehensis *L. 2. C. quorum appellat. non recip.* hæc & similia, tantum contra scribentem validam inferunt præsumtionem, qua non minus, quam argumentis & indiciis aliis ad torturam spiritualem vel corporalem deveniri potest. Priori autem casu reus, exceptionibus destitutus, aut recognoscit documentum, & pro convicto erit habendus; aut recognoscere illud contumax recusat, quo facto, pro recognito neutiquam est recipiendum GAIL. *de pace publ. Lib. 1. cap. 15. num. 16.* sed ad comparationem litterarum, aliasque probationes progrediendum. Et quidem, si testes adfuerunt tem-

pore,quo instrumentum est confectum, eumque scribere viderunt, ante omnia per eos recognitio instituenda: nam & illos plene probare BRVNNEMANNVS *ad L. 20. C. de fid. instrum.* notat ex *Trentacinq. L. 2. Tit. de fid. Instr. n. 3.* His vero deficientibus,& quando de actu scriptionis aliunde non constat,comparatione litterarum opus est, & fit ab artis scriptoriæ peritis, qui litterarum ductibus accurate collatis, præstitoque desuper credulitatis iuramento, vel de conformitate,vel discrepantia ductuum testantur. Interim neminem plene convinci ex litterarum collatione,lubentissime largior, dum hoc remedium prudentissimos quandoque fallit,non tantum, quoniam multi sæpe aliorum manus perfectissime immitari norint *L. 23. ff. ad L. Corn. de falsis.* sed etiam intuitu scribentis manus mutatio variis modis, ex ætate, diversitate atramenti, & papyri, calami, non raro etiam dolo, contingere solet GRANZ. *in defens. Inquisit. cap. 5. membr. 2. sect. 3. art. 3. n. 312. idem c. 5. m. 2. s. 2. a. 5. n. 511. p. m. 439.*

§. VII.

Potissimum convincitur aliquis per testes, ideoque cum a depositione illorum tum vita tum mors rei dependeat, diligentissima in personam & dicta eorum iudici instituenda est indago *L. 3. pr. ff. de Testib.* Per testes vero reum criminis convicturos, designamus, sicut in civilibus ad minimum duos, *l. 12. ff. eod.* eosque imprimis habiles, id est, 1) omni exceptione maiores,quales censentur, qui iustæ sunt ætatis,& maiores viginti quinque annis, *L. 20. ff. de Test.* utut ad innocentiam rei deducendam, minores producere liceat: nam pro defensione istius multa permissa sunt, quæ alias deflectere a iuris regulis videntur. CARPZ *proc. Criminal. part. 3. quæst. 114. n. 43.* item, qui sanæ sunt mentis *L. 2.*

§. 3.

§. *3. & 4. ff. qui testam. fac. poss.* non infames, iuris aut facti infamia, accusato non inimici *Nov. 70. Cap. 7.* non consanguinei & affines, non hæretici *L. 3. §. 5. ff. de Test.* & in genere omnes, qui nullo aut iure, aut legitima exceptione a testimonio repelli possunt. *Ord. C. art. 30. & 66.* possunt autem inter alios multos, etiam, quibus secretum aliquod sub confessionis sigillo fuit revelatum, verbi gr. confessionarii *c. 2. X. de off. iudicis, & advocati,* quia & hi sacerdotis nomen sustinent. *L. 1. §. 1. ff. de Iust. & Iur.* 2) Deponentes a) clare & perspicue. Unde nihil probant verba testium obscure, dubie, nimis generaliter, & indefinite prolata, CARPZ. *p. 3. q. 114. n. 47.* GRANZ. *in Def. Inq. cap. 5. m. 2. s. 3. a. 5. n. 647.* b) de proprio visu *Ord. Cr. art. 65.* allegata præterea scientiæ causa mit Anzeigung des Wissens gründlicher Ursach: quippe quæ anima ipsius testimonii dicitur BRVNNEMANNO *cap. 8. m. 2. n. 56.* Hinc non sufficit, si ex auditu quispiam respondebit, proprium dicat, vel alienum, imo ne ad capturam quidem aliquid conferre alienum auditum, tradit STRYCK *de iure sensuum Diss. 3. c. 3. n. 38.* 3) Unanimes & in unum concordantes: namque si evenit, ut in una alterave circumstantia, pertinente vel ad essentiam vel criminis qualitates, a se invicem dissentiant testes, non ad torturam, ne dicam ad condemnationem, procedendum est. *L. qui sententiam 16. C. de pœn.* 4) Iuratos: quod eo magis in criminalibus urgendum est, quum ne in civilibus quidem causis iniuratus testis quidquam probat. *L. 9. pr. C. de Testib.* 5) Testaturos de ipso actu, non de indiciis & circumstantiis aliis, quod v. gr. brevi ante altercari inquisitum cum occiso audierint, viderint ipsum minitantem, tectis alterius se faces illaturum &c. inde saltem præsumtio nascitur, minime vero

iudex sententiam definitivam præcipitare potest, etiamsi dicta nituntur testimonio omni exceptione maiorum. LVDOVICI *in Introd. ad process. criminal. cap. 6. §. 8.*

§. VIII.

Tantum vero abest, ut testium soli depositioni credamus, ut potius, præsertim si delictum est facti permanentis, scire ante omnia intersit, an etiam illud vere sit commissum: Hoc apparet ex delicti corpore, de quo constare debet 1) ad effectum specialis inquisitionis, CAROL. NEMES. *art. 6.* in verb. Darzu soll ein ieder Richter in diesem grossen Sachen, so viel möglich fleißig Nachfragens haben, ob die Missethat, darum er angenommen, berüchtiget und verdacht, auch beschehen sey oder nicht, ne exceptio nullitatis contra inquisitionem opponatur GRANZ. *c. 5. m. 2. n. 406.* & iudex vagetur in incerto, cum discrimine alienæ existimationis. *L. 7. pr. ff. de iniur. L. 16. ff. de dolo malo,* quæ tamen tanti est momenti, ut eius iactura maior esse nequeat. *arg. L. 10. ff. de pœn. Nov. 8.* cum pari passu cum vita ipsa ambulat *L. 9. ff. de manumiss. vindict.* proinde disserte cautum in Sächsis. Peinl. Inquisitions Proceß Tit. 3. art. 2. §. 5. ub. iedoch ist gute Bescheidenheit hierbey zu gebrauchen, und mit Discretion zu verfahren, damit nicht ohne Ursach unbescholtene ehrliche Leut mit blossen Verdacht beschmitzet werden. Me non latet, etiam in delictis facti permanentis quandoque fieri, ut corporis delicti copia haberi nequeat: ast, qualescunque etiam cum hoc casu concurrent circumstantiæ, eo deveniri potest, ut veritas tormentis exprimatur, & expressa pœnæ ordinariæ locum faciat CARPZ *p. 1. q. 26. n. 27.* GRANZ. *Part. 2. Cap. 4. m. 2. n. 39. p. 801* 2) Delicti corpus oculis iudicis subiici debet, ad effectum condemnationis. Nam in eo, tanquam in cardi-

ne,

ne, iudicis vertitur officium, ut pœnam delicto conformem præfigat: quomodo autem de pœna disponere potest, quando de delicto nondum constat? vel in eius inquirere qualitatem, non dum probata substantia, in qua illa fundatur. *L. 16. §. 1. ff. de pœn.* Igitur iuris expediti est, quando nemo in vicinia desideratur, nemo de rebus furto ablatis, de ædibus combustis, conqueritur, neminem ceu delinquentem, licet confessum, condemnari posse *L. 1. §. 24. ad SCtum Silan. L. 6. pr. vers. ceterum. ff. ad L. Corn. de fals.* Quid si enim testes odio dissimulato, aut pretio conducti, falso aliquem accusaverint? Hæc adeo vera sunt, ut, etiamsi quis furiis conscientiæ agitatus, iudicem adeat, confiteaturque se occidisse hominem in nemore, neutiquam tamen hoc credere debeat iudex, nisi prius invento ibidem occisi cadavere, nam quis ignorat, quid vitæ tædium & desperatio mortales possit cogere? Delictum vero confessus, & deficiente delicti corpore, locum in quem cadaver proiecit significare admonitus, dubitando, negando, aut memoriæ debilitatem, exiguo temporis præterlapso spatio, opponendo, respondens, pro gravitate circumstantiarum, ipsiusque criminis, sub tormentis interrogari potest CARPZ. *in Prax. Crim. P. 1. quæst. 16. n. 9.* modo sanæ mentis sit confessus, & circumstantiæ cum confessione concurrant minimum probabiles. Circa delicti corpus inprimis notabis in homicidio, quum capitali pœna secundum communem DD. opinionem simpliciter vindicandum veniat, illud singularem & exactissimam sibi asserere evidentiam. Licet equidem BRVNNEMANNVS *in præfat. sui process. inquiss.* minime cum auctoribus, tot exceptiones & limitationes, regulam, ut ait, ipsam subvertentes, excogitantibus, velit facere; cum tamen post lapsum hominis

volun-

voluntati libertas a coactione nihilominus remansit, ut possit velle & non velle, eiusque appetitus intrinseca coactionis necessitate per suggestionem physicam vel moralem ad damnum aliis inferendum in specie non determinetur; sed si quid mali cogitat homo, minimum formidine pœnæ a legibus præscriptis id deprimit, nec facile in actionem externam prorumpi patitur; hinc omnis inculpatus aliquam pro se habet innocentiæ præsumtionem *L. 5. ff. de pœn.* ZANGER *de quæst. c. 3. n. 41.* GRANZ. *cap. 2. m. 2. n. 16. 17.* quam defendere contra alios & ipse & iudex est obligatus. Cum vero deductio innocentiæ commodissime per exceptiones expeditur, per quas quo difficilius est iudicem persuadere, *L. 30. ff. de Testam. tutel.* eo plures in medium afferre posse inquisitum, nulli dubitamus. Sed ne ipse iudex excipiendi ansam det, in causa homicidii diligenter inspiciendum delicti corpus, h. e. cadaver occisi, & in eo attendendum, an mors immediate ex vulnere provenerit, an vero subveniri vulnerato adhuc potuerit. Quippe ex vulnere absolute & per se non lethali nemo mortuus præsumitur, sed potius culpa medicorum, vel ex malo regimine, vel alia ex causa & symptomate superveniente *L. 138. §. nunquam ff. de R. I.* CARPZ. *part. 1. qu. 26. n. 1.* utrum autem absolute vulnus lethale fuerit, an non, iurata nititur relatione medicorum & chirurgorum, qui præsente iudice, scabinis & actuario hac de re iudicant. *C. C. C. a. 149.* CARPZ. *P. 1. q. 26. n. 19. seqq.* Proinde artis medicæ peritos omnem mentem in sectionem circumspecte peragendam defigere, pariter etiam iudicem cum reliquis diligenter huic actui interesse oportet; ne, si in necessario vel saltem uno requisito peccetur, inquisitus habeat, quod aut medico imputet, aut iudici. Sic ab incauta instrumenti chi-

ti chirurgici intrusione quandoque argumentum & pœnam ordinariam declinandi viam inveniri posse, docet STRYK *de iure sensuum Differt. 1. cap. 2. n. 34.* KIRCHGESSNER *in tribun. Nemes. part. 4. cap. 2. n.* 4. & licet hoc casu chirurgi deponant, vulnus fuisse mortiferum, tamen pœna saltem extraordinaria habet locum, quia in pœnalibus alias benignior interpretatio sequenda, & mitius pro reo pronunciandum est. *L. 4. §. 2. ff. de susp. tutor.* CARPZ. *d. l. n. 52.* GRANZ. *P. 2. cap. 6. membr. 1. n. 89.* Nec obstat *L. 15. §. 1. ff. ad L. Corn. de sicariis*, ubi nihil interesse dicitur, occidat quis, an causam mortis præbeat. Etenim hic sermo est, de cæde ex mandato alterius facta, de qua tenetur mandans, etsi ipse opem non tulit, nam quod quis per alium facit, id ipse fecisse putandus est *L. 1. §. 12. ff. de vi & vi armat.* tamdiu ergo res adhuc in quæstione versari videtur, quamdiu non manifesto demonstratum, vulnus fuisse lethale, atque culpa, nec propria, nec aliorum interveniente, mortem esse secutam. Hinc fit, ut, licet quis telo ictus derepente decedat, neglecta inspectione & sectione pœna ordinaria auctor plecti nequeat, quibuscunque id argumentis infirmare conantur GOMEZ *Resol. Tom. 3. cap. 3. n. 29. &* MENOCH. *de A. I. Quæst. cent. 2. casu 275.* dicendo: qui mox post vulnus illatum decedit, ex vulnere decessisse præsumi, seu, quod, secundum MASCARD. *concl. 1039.* natura ipsa per tam breve spatium eum ex vulnere mortuum innuat. Quid enim si morbus latens, cujus terminus fatalis cum casu coinciderit, mortis fuerit palmaria causa? Num in solis præsumtionibus acquiescendum? sane in tam ardua causa, ubi de vita hominis agitur, nimis durum foret, iis solis inniti TOB. GRANZ *de defens. Inquisit. cap. 6. membr. 2. n. 23. & seqq.*

§. IX.

Nihilo, quod testibus objiciatur, vel circa delicti corpus desideretur, obstante, dubium non est, quin delinquens plene possit convinci. Consistit convincendi modus in eo, ut testes primum summariter, attamen non simul, sed separatim audiantur super articulis absque omni suggestione compositis. Caveat etiam sibi iudex, ne testem alterutrum, qua circumstantias delicti remotas vel proximas forte singularem, instruat, in quo nam utriusque depositio sibi sit contraria, nam tum facile verba ab eo in convenientiam trahi, atque depositio, quæ alias diversis obnoxia foret exceptionibus, magno cum inquisiti periculo restitui potest. OLDEKOP. *obs. crim. tit. 2. obs. 9. n. 1. & seqq.* Testimonio testium prælecto, & inquisito factum adhuc negante, suscipitur confrontatio, si nihilo secius in negatione perseverat, testes, præsente inquisito, juramento adstringuntur, & denuo singuli ad interrogationes iudicis respondere compelluntur. Exinde fit, ut inficiatione eius non considerata, tanquam convictus pœna ordinaria coërceri queat; nam sufficit eum *convictum esse, licet non confessum.* Nota: quanquam in duorum vel trium testium ore omne consistat verum MATTH. *XVIII. vers. 16.* nec adversante alias ipso iure canonico *cap. 4. X. de Test.* diversum tamen, & quod movet stomachum, in teste laico contra clericum disponit Synodus romana, ita ut præsul non damnetur nisi cum 72. testibus: nec præsul summus a quoquam iudicetur, quoniam scriptum est: *non est discipulus super magistrum*, presbyter autem cardinalis, nisi cum 44. testibus, non damnetur: diaconus vero cardinalis urbis romæ, nisi cum 27. testibus, non condemnetur. Subdiaconus, acolythus, exorcista, lector, ostiarius, non nisi septem testi-

testi-

testibus, non condemnetur, *can. 2. caus. 2. qu. 4.* quæ conferri possunt cum sequente *can. 3. ibid.* Quid hic præcipue de præsule summo statuitur inauditum? a nemine is iudicari potest, addita admodum concinna ratione ex MATTH. *X. v. 24.* Sed non omitti debuisset *vers. 25.* utique sub summo præsule intelligi debet pontifex maximus, ut inde mirandum sit de auctore glossæ, qui putavit, pontificem maximum minori numero testium posse condemnari, quam diaconum cardinalem, atque ostiarium: cum tamen ipse pontifex a generali saltem præsulis nomine minime esset excludendus. ah! Sycophanta glossator, & criminis læsæ maiestatis divinæ reus, dignus, qui vita superstes igni vivus cremaretur, an fugit eum? papam christi vicarium, vel ipsum deum esse, nec posse deum ab hominibus iudicari, ut expresse legitur in *c. 7. dist. 96.* vel ut *in ceremon. pontifical. L. 1. tit. 7.* extat, papam in nocte nativitatis domini benedicere ensem, eumque postea donare alicui principi, *in signum infinitæ potentiæ pontifici collatæ*, iuxta illud: *data est mihi potestas in cælo & in terra.* item: *dominabitur a mari usque ad mare, & a flumine usque ad terminos orbis terrarum.* Sed auditum admissi risum teneatis amici! hæc ergo & similia credat iudæus Apella, non ego. nolo amplius & tempus & chartam perdere in recensendis & confutandis eiusmodi pontificiis næniis, blasphemia plenis, quas omnes in unum congestas sat graphice perstrinxit *auctor elegantissimi scripti, cui titulus:* P SIXTI V. *fulmen brutum.*

§. X.

Veram hucusque & legitimam probationem convictionis fundamentum diximus, non raro tamen etiam fictis, id est, præsumtionibus & indiciis, præsertim in delictis, quæ

audiunt facti transeuntis, ut quæ tempore nocturno, locis solitariis, & secretis committuntur, alias quoque difficilis probationis sunt, inhærere debemus Casu tamen eveniente, cui unus tantum, fide dignus, testis interfuit, eius testimonium, nec iure divino DEVT. *XIX. v. 15. it. cap. XVII. v. 6. II.* COR *XIII. v. 1.* MATTH. *XVIII. v. 6.* nec humano, condemnat. Egregia expressione, & extensione hanc legem stabilivit Constantinus imperator, in *L. 9. §. fin. C. de test.* ita sanciens: unius omnino testis responsio non audiatur, etiamsi præclaræ curiæ honore præfulgeat: h. e. ut DION. GOTHOFRED. ad h. l. interpretatur, *etiamsi sit senator*, quod quidam etiam latissime ad Imperatorem, & Pontificem extendere videntur, WISSENB. *tit. ff. de Testib. n. 32.* MATTHÆI *ad L. 48. ff. Tit. 15. c. 3. n. 2.* FRANTZK. *Lib. 2. Resol. 23. n. 27.* FARINAC. *de Testib. quæst. 63. n. 179.* utut privilegio, de non errando, gaudere dicatur. Sed quanquam, quo aliquis post Deum, qui ipsa veritas, maior in mundo est, eo maiorem quoque fidem habere debeat; tamen hoc intelligendum de factis, coram se gestis, proprio commodo vel interesse remoto. BRVNN. *ad all. L. 9. §. fin. C. de Test.* neque plenam fidem eis tribuere possumus, quum omnibus hominibus errare æque innatum sit, atque nulla Maiestas terrarum id legibus naturæ peculiare habeat, ut tyrannidem exercere, & prolubitu in subditorum viscera sævire possit. Inde nec iudex severioribus mandatis, a principe contra suam consuetudinem datis, statim morem gerere, sed per triginta dies executionem differre debet, *L. 20. C. de pœn.* quod admodum pie & prudenter statutum. nam talis dilatio potest principis iram mollire atque temperare. Immo decet iudicem, adire ipsum principem, eum super severius rescri-

ptum

ptum consulere, errantem ad viam veritatis reducere, & ulteriorem mandati explicationem, aut emendationem ab eo petere *c. 5. X. de rescript.* Longe secus putat CLARVS *Prax. Crim. L. 5. Qu 60. n. 16.* dicendo, tale mandatum licite & sine peccato statim executioni dari posse: sed probe secernenda est potestas ab officio boni principis, quippe non eadem sunt, quod facere possum, & quod facere debeo, & non omne quod licet, omni tempore iustum est, *L. 144. & 197. de R. I.* His quidem in terris impune suam sævitiam fert princeps, severius tamen ei aliquando ipsius Dei subeundum erit iudicium. Iudicis autem in tali casu est, ut magis pareat Deo, nolenti innocentem condemnari, suumque potius officium resignet COLER *de process. execut. p. 4. c. 1. n. 134.* quam iniusto principis obtemperet mandato, exemplo emissariorum Saulum circumstantium, qui sacerdotes domini interficere a rege iussi erant: item obstetricum ægyptiacarum, quæ, Israelitarum pueros recens natos interficere, in mandatis habebant. *I.* SAMVEL. *XXII. vers. 17. &* EXOD. *I. v. 17.* Nec refert, quod Princeps, se in crimine capitali inquisitum deprehendisse, dicat, aut id plane jurato afferat: Uti præclarum exemplum de parlamento parisiensi recenset BODINVS *de repl. Lib. 6. Cap. ult.* Nam cum Rex Galliarum Henricus II. hominem italum damnari iuberet ideo, quod, se præsente, crimen notorium capitale commiserit, nec tamen divulgari vellet nomen, nec circumstantias, iudicium Parisiense, regis iram non pertimescens, eidem respondit: se iuratos esse, &, nisi sceleris convictum, damnaturos neminem. Quod in Principe improbamus, multo minus iudex sibi arrogare potest, ut ex propria, quam iactat, scientia, aut innocentem condemnet, aut nocentem

absolvat. Nam hoc ipso haberent iudices, quo affectibus suis indulgere & sub obtentu certæ suæ scientiæ mox contra inimicos, mox pro amicis casus excogitare possent; potius iudex acta & probata in pronunciando sequi debet, *L. 6. §. 1. ff. de Off. Præsid. L. 3. §. 2. ff. de testibus*; non vero testem & iudicem in eadem causa simul agere, FARINAC. *de Test. 9. 60. n. 89. & seqq.* quippe debet alius esse iudex, alius testis, & alius examinator, & alius examinatus, MARTIN. URAN. *in lectur. ad cap. cum a nobis, de Test. n. 3. pag. 92.* Malim igitur cum GRANZIO *in Cap. V. m. 2. s. 2 a. 5. n. 409. p. 417. it. Cap. IV. m. 2. s. 1. n. 192. p. 231.* suadere inferiori iudici, ut in casu, in quo ex propria scientia, aut de malitia, aut innocentia inquisiti, testimonium perhibere potest, suum officium aliquandiu deponat, & rem superiori tractandam relinquat, munere testis interim perfuncturus. Si vero delictum adeo atrox non sit, vel probationis sit paullo difficilioris, privatim corripiat noxium, ad pœnitentiam & vitæ correctionem, si quid ad eam suis admonitionibus proficere se posse, arbitrabitur. vid. ZAS. *L. 1, consil. 15. n. 123.*

§. XI.

Itaque uni testi minus, quam duobus credimus, & sicut per duos, omni exceptione maiores, plena fit probatio, per *all. L. 12. ff. de Test.* ita e contrario non inconcinne infertur, unius invulnerabilis testimonio induci semiplenam probationem; Exinde vero nemo convincitur, neque etiam in plenam probationem est transitura, actore seu accusatore in supplementum iurante, SETSER *de iurament. Lib. 4. cap. 14. n. 8.* nam si in causis famosis *L. 6. C. de dolo mal.* & arduis civilibus, ubi de magno rei damno, & ingenti commodo actoris, magis semiplene probantis, agitur, Doctores iuramentum

mentum suppletorium admittere dubitant, GAIL. *L. 1. Obs. 108. n. 1.* multo minus in caussis sanguineis concedendum, ad condemnationem dari locum eiusmodi iuramento; dum leges probationes meridiana luce clariores urgent. *L. 16. C. de pœn. L. fin. C. si ex fals. instr.* Aliter pronunciant in criminibus minoribus, pœna arbitraria expiandis, ubi etiam unius testis depositione, adminiculata qualicunque præsumtione, crimen probatur, & reus pro convicto habetur. MASCARD. *de probat. Lib. 1. q. 11. n. 19.* PROSP. FARIN. *de Test. Tit. 6. qu. 63. n. 35.* rationem CARPZOVIUS *in prax. Cr. part. 3. qu. 114. n. 53.* ponit in eo, quod in criminibus hisce leviusculis iudex iustitiæ æquilibrium accuratius sequi, & pro ratione factæ probationis, pœnam arbitrariam, scil. carceris, relegationis, & mulctæ, reo impositam bene temperare possit: unde semper tali in casu mitius puniri solet reus, quam si pleniori & legitimo modo esset convictus, CARPZ. *part. 3. qu. 116. n. 57.* Quod ipsum etiam in delictis maioribus, quæ non nisi præsumtionibus, & coniecturis probari potuere, aut ubi lex ipsa præsumtiones pro idoneis probationibus commendat, *c. 1. de Homicid. in sext. c. 12. X. de præsumt. L. 5. §. 6. de re milit. L. 34. & Auth. si quis C. de Adult.* obtinere videtur. Sic tralatitium est, adulterium censeri sufficienter probatum, si v. c. maritus, uxorem cum alio in lecto deprehensam fuisse, probaverit, licet ipsa illicita commixtio doceri nequeat, scilicet ad effectum divortii & pœnæ extraordinariæ, non vero ad effectum pœnæ ordinariæ, ad quam perveniri non potest, nisi ipse concubitus cum seminis immissione factus sit, vid. omnino STRYK. *de Iur. Sens. D. 1. c. 4. n. 29.* CARPZ *qu. 61. n. 6 seq.* Sane quod ad pœnas ordinarias attinet, quamdiu iudex probabiliter tantum est

persua-

persuasus, non magis novit rem esse veram, quam scit, illam non esse falsam; adeoque in tanta ambiguitate, vel suspendendum est iudicium, vel mitiganda pœna; nam, ut scientiæ, ita & probabilitatis dantur gradus, CARPZOV. *Qu. 26. n. 56. & 57.* pro cuius pondere iudici ipsa pœna venit mensuranda. Quoniam vero per indulgentiam, & remissionem pœnæ ordinariæ uni alterive datam, ad prolapsionis contagium provocantur universi, & facilitas veniæ incitamentum est ad delinquendum *c. 13. X. de Vit. & Honest. Cler. L. 33. in fin. ff. de re iud* iunct. *L 1. pr. C. ad L. Iul. repetund.* omnem lapidem iudex movere debet, ut maiorem criminis certitudinem sibi comparet, pœnamque legum ordinariam imponere valeat. In his casibus, ubi præsumtiones & indicia utramque faciunt paginam, supplementum probationis, quod indicendæ pœnæ ordinariæ inserviat, restat non aliud, quam confessio inquisiti, spontanea, vel tormentis expressa. Quæ autem sint istæ præsumtiones ad torturam sufficientes, res huius loci non est. consulantur, qui de indiciis & tortura scripserunt. Interim me non latet, dari, qui præsumtionibus iuris & de iure condemnationis tribuunt effectum. in quorum numero est ANTON. MATTHÆI *de Crim. Lib. 48. Tit. 51. c. 6.* IOH. a SANDE *Decis. Frisic. Lib. 5. tit. 9. def. 4.* ast, licet in civili causa eis suum robur relinquamus, ita ut e. c. testator præsumatur, maxime idoneum elegisse tutorem, *§. 1. vers. quod si nemo. Inst. de satisdat. Tutor. L. 3. §. 1. ff. de Administ. Tut.* in iure etiam omnes liberi legitimo thoro censeantur procreati, matre quibuslibet argumentis annitente contrarium asserere *L. 11. §. 9. ff. ad L. Iul. de Adult.* addantur duo notabilia exempla in *c. 30. X. de Sponsal. & c. 6. X. de condit. appos.* ut alia non adducamus; tutissimum

mum

mum tamen erit ſtatuere, in delictis capitalibus iura non præſcribere eiusmodi præſumtiones. Nam ſi in modo allegatis exemplis præſumtiones iuris & de iure eam habent vim, ut actor, citra quam ulteriori opus habeat probatione, ſolum eas allegando, alterum repellat, quid aliud erunt in criminalibus, quam abſolutæ legum diſpoſitiones ad condemnationis effectum ſuper delicti circumſtantia factæ? Quid aliud eſt, arceri reum a probatione contrarii, MENOCH. *de præſumt. L. 1. q. 3.* MASCARD. *de probat. vol. 1. qu. 10. n. 48.* quam inauditum aliquem condemnare? Summum ius coniunctum foret cum maxima iniuria. Quo nomine nec ex præſumtionibus violentis ſeu neceſſariis quiſpiam convinci condemnarique poteſt, cuiuscunque momenti ſibi fingant caſus, factique addant evidentiam. Sic quando v. gr. conjux, marito diu peregre abſente, fit prægnans, non ſtatim pro indubitata adultera haberi debet: ſicuti nec is, qui gladio vagina vacuo ad cadaver occiſi adſtat homicidii doloſi convictus dici poteſt: Quid ſi mulier excipiat, ſe vi, dormientem, aut inebriatam, fuiſſe compreſſam, dolo aut errore deceptam? Quid ſi homicidii inculpatus factum neget, & amico ſe contra auctorem auxilio veniſſe dicat, vel moderamine inculpatæ defenſionis ſe tueatur &c. certe cum de huiusmodi caſibus viva exempla loquuntur, inquiſitus ante omnia cum ſuis exceptionibus eſt audiendus, adeo, ut nec, in probatione deficiens, ſtatim tanquam convictus pœna ordinaria [...]oeat puniri, uti exiſtimat TABOR in *Tr. de Tortura* [...] *Analyſ. Ord. Crim. art. 22. §. 12.* Nam quoties fit, ut [...]n ius, ſed probatio exceptionum reis deficiat? arg. *L. 3r. ff. de teſtam. tut.* potius habenda eſt ſedulo ratio circumſtantiarum, vita ante acta, fama, mores, converſatio, &c. explorari debent, &

& tortura denique exceptionum veritas extricanda. Vid. NEMES. *Carol. art. 16.* Ceterum adhuc, ὡς ἐν παρόδῳ, indicia, unde fluunt præsumtiones, non obstante *CCC. a. 18. in verb.* dieselben Sach ꝛc. *item art. 24. in verb.* Wann nicht möglich ꝛc. *& art. 27. in verbis* So sollen ꝛc. ꝛc. dispescimus in communia & propria: de illis, quod impossibile sit eas speciatim determinari, dum ex facto, quod varias admittit mutationes, desumuntur CARPZ. *pract. Cr. part. 3. q. 123. n. 28.* agunt allegati articuli, & ideo propter generalitatem dividi possunt, vel in certa, uti dicuntur *in l. 19. C. de rei vindic.* atque indubitata, ut ea appellat CAROLVS *in art. 29.* Unzweiffelhafftige Anzeigungen, quorum unumquodque ad quæstionem instituendam satis est, GRANZ *in Def. Inq. cap. 5. m. 2. s. 3. n. 55. pag. m. 453.* vel verosimilia seu probabilia, quorum singula iuramento purgatorio, vel territione verbali vel reali removentur, ex pluribus vero concurrentibus iudex suo arbitratu torturam decernere potest. *CC. a. 27.* exemplum desume ex *alleg. C. art. 25.*

§. XII.

Quum iam olim Romani in civilibus causis reum præsumerent fugientem vid. *l. 13. §. 2. C. de Iudic.* multo magis in criminalibus hæc præsumtio erit attendenda: an vero hæc propositio convertibilis sit, omnisque fugiens æque præsumi debeat reus, nunc dispiciendum. Id equidem probe scio, [illegible]um illud:

Daß keiner eher wird gehangen
[illegible]or man ihm hat eingefangen,

esse veriss[illegible]um: Sed hoc potissimum nostra intendit quæstio, an non [illegible]linquens, qui carcere elapsus, ruptis vinculis, aut [illegible] post p[illegible]petratum crimen fuga saluti consuluit, statim

tim pro convicto haberi, custodiæ vero restitutus, condemnari possit? In eo tam processus banni saxonicus, quam instituta francorum hodierna (rigorem processus Banni francorum veterem vide sis apud GRANZIVM *in def. inq. P. 2. Cap. 6. M. 2. s. 2. A. 10. n. 462. p. m. 196. ibique citatos auctores.*) conveniunt, ut reum, facta aliquoties citatione, contumaciter emanentem pro convicto & confesso declarent; ast non vere, sed fictione iuris eum pro tali habent, LVDOVICI *in introd. ad processf. inquisit. cap. 3.* §. *42.* ad hunc solummodo effectum, ut ex bonis fugitivi, læsis, fisco, atque iuxta ordinem prioritatis creditoribus satisfiat, relicta tamen, uti par est, portione, unde uxor & liberi fugientis alimenta possint capere. VALENTIN. KIRCHGESSNER *in Tribunali Nemesis iuste Iudic. partit. 4. cap. 8. num. 5.* Posthæc si vel ultro vel ad litteras salvi conductus se sistat coram iudice, vel etiam captura in eius manus perveniat, non statim, uti vere & legitime convictus, supplicio plectitur, sed confessus cum exceptionibus suis semper est audiendus, negans vero, etiamsi alias sufficientia ad torturam non adsunt indicia, propter solam contumaciam, non præsumtionem ex fuga ortam, utpote admodum tenuem, *Ord. Crim. art. 25. n. 6. & art. 27.* CARPZ. *quæst. Crim. 140. n. 136.* ZANGER *in Tr. de quæst. seu Tort. Reor. cap. 2. num. 87.* torturæ subiici, in negatione perseverans, ne plane impune ferat suam malitiam, pro iudicis discretione, cum pœna extraordinaria dimitti debet. Nec obstat in fugitivos delinquentes pœnam, *L. 13. de custod. & exhib. reor.* imo ultimum supplicium statutum esse, *l. 1. de effractor.* nam citati textus loquuntur de iis, qui, cum iam in carcerem recepti essent, de carcere eruperunt, sive effractis foribus, sive conspiratione cum ceteris, qui in eadem custodia erant. nec me-

 movet,

movet, quod quandoque iis, qui criminosos in fuga persequuntur, iniungi solet: Sie sollten die Flüchtigen lebendig oder tod einbringen. nam, quod summo imperanti interdum lubet & licet facere, iudex inferior non statim ad consequentiam trahere potest; vid. omnino LVDOV. *Introd. ad Proc. crim. c. 3. §. 5.* ZANGER. *de tortur. c. 2. n. 94.*

§. VIII.

Ex indiciis, licet eorum mille sint, neminem convinci, certum est FARIN. *Prax. Crim. q. 86. n. 78.* Sed, uti supra expositum, testium habilium depositio regulariter hunc effectum sibi sola vendicat CARPZ. *Prax. Crim. part. 3. q. 114. n. 2.* Quaeritur nunc 1) an non deficientibus iis, iudex inhabiles quandoque ad testificandum admittere debeat? & annon 2) illorum depositio tantam mereatur fidem, ut inde delinquens convinci & ad poenam ordinariam trahi queat? Quoad priorem quaestionem; licet omni simpliciter iure mendaces, periuri, inimici capitales, magi & eius generis alii arceantur a testimonio FARINAC. *de Test. quaest. 56. n. 186. q. 53. n. 5.* GRANZ. *def. inquis. cap. 5. n. 2. sect. 2. art. 5. n. 490. it. sect. 3. art. 5. n. 591. & n. 600. pag. m. 597.* BRVNNEM. *c. 8. m. 2. n. 21* in tantum, ut nec indicium faciant ad inquisitionem specialem, cum isti defectus directo contrarientur bonae fidei, & auctoritati, quae requiruntur in teste, tanquam pars essentialis, unde animam ipsius dicta debeant haurire; tamen in casu, quo delicta in se probatu difficilia sunt, & veritas vel ex conditione loci & temporis, vel ex ipsius rei & facti natura aliter haberi nequit CARPZ. *p. 1. c. 16. def. 7. it. Pract. Crim. q. 114. n. 35.* testes, quocunque defectu laborantes, alios admittendos esse, cordatiorum tradit ICtorum scholae. CARPZ. *c. l.* FARINAC. *de Test. q. 62. n. 28. it. n. 52. & seqq.* GRANZ. *cap. 5. m. 2. sect. 3. art. 5. n. 610.*

n. 6to BRVNNEM. *Processf. Inquisf. cap. 8. m. 2. n. 23. & 27.* Quæ vero idem BRVNNEMANNVS *d. l. n. 28.* MASCARD. *concl. 1366. aliique* proferunt in medium, de criminibus exorbitantibus, magiæ, latrocinii, assassinii &c. quod hic liceat quibusvis, etiam testibus alias inidoneis, deponere suum testimonium, an iuris analogiæ consonum sit, valde dubito. Etenim axioma illud, quod propter criminum enormitatem iuris communis & statutorum regulas transgredi permissum sit, non de processus ordine invertendo, sed de pœna exasperanda capiendum est. *L. 16. §. fin. L. 28. §. solent. ff. de pœn.* & videatur omnino OLDEKOP. *Tit. 4. obs. crim. 16.* CARPZ. *p. 3. q. 102. n. 68.* Sane iniquum esset, si in delictis non ita gravibus iura & iuris ordinem sequi vellemus, illum vero violare in atrocioribus, quin id recta suadeat ratio, ut, ubi maius subest periculum, ibi quoque cautius agamus. *L. 1. §. fin. de Carbon. Edict. c. ubi periculum de elect. in 6to L. 29. de Appell.* & pro veritate indaganda, quo maius est delictum, eo maiorem curam operamque impendamus., COTHMANN. *L. 1. consf. 12. n. 63. n. 142. 144.* Damnum, quod forte metuendum, tantum non est, ut Reipubl. inde pereundum, neque etiam tam subito ista crimina generis humani salutem petunt, ut propterea deflectere a regulis ordinariis inquisitionis, imo omnem exuere humanitatem, necesse habeamus. Quid quæso falsa calumniatorum accusatione erit frequentius? quid conficti criminis probatione facilius? quid denique sententia mortis durius? In criminali iurisprudentia, qua etiam illa patet, provide semper eo respiciendum, ne innocens condemnetur, præsertim cum iura ita faveant reis, ut etiam nocentes in dubio absolvi iubeant *L. 5. ff. de pœn.* Me non fugit, uti plerosque adversariorum *arg. L. famosi. 7. pr. ff. ad L.*

Iul. Maiest. id vero, quod est probandum, non evincunt. Agit adducta lex de accusatore inhabili admittendo in crimine læsæ maiestatis: ab accusatore autem ad testem, velut a minori ad maius, validum non ducitur argumentationis filum. Semper enim facilius aures præbemus accusatoribus, quam testibus, quippe testificare actus est multo maioris præiudicii ob maiorem fidem, quam tribuere testibus potius debemus, quam accusatoribus, FARINAC. *de Test. q. 53. n. 5.* VRANIVS *in lectur. ad cap. Dilecto Decretal. de Test. n. 25. p. m. 174.* dum eorum depositiones reo condemnationem inferunt, quandoque, & vitam, & bona adimunt BRVNNEM. *cap. 8. membr. 2. n. 16.* accusatoris delatione vix sufficiente, ut inquisitio specialis queat institui; plane vero repellitur, quoties testis in propria causa esse gestit. *L. 10. ff. de Test.* FARINAC. *de Test. q. 60. n. 64. & seqq. Ord. Crim. art. 25. vers.* zum Sechsten &c. *& artic. seq.* In materia igitur probandi crimina, vel excepta vel non excepta, testes habiles indistincte excludere debent inhabiles, nec hi unquam admittendi sunt, nisi causa necessitatis peculiariter suadeat, ut recedatur a regula iuris communis. *L. 162. ff. de R. I.* Tamen diximus: si delictum difficilis est probationis; & si veritas per alios haberi nequit &c. Sensus vero exceptionis non ille est, quasi in omni facto, ubi testes habiles non intervenere, alios deponere suum testimonium pateremur; sed supponimus tale factum, quod in se, & de sua natura est eiusmodi, ut testes habiles præsumtive intervenire non potuerint. PROSP. FARINAC. *de Test. qu. 62. n. 62. & seqq.* CARPZ. *q. 114. n. 37.* Sic quandoque fit, ut homicidium noctu, vel in loco a conversatione hominum remoto v. gr. eremo, sylva committatur CARPZ. *c. l. n. 36.* vel delictum denuncietur facti

tran-

transeuntis, uti sodomia, incestus, adulterium, stuprum &c. PRÆSES *in Comment. ad Schoepffer. tit. de testib. n. 22.* Sane his & similibus casibus, si ex accidenti habilium copia fieri nequit, adhiberi testes alios, urget salus reipublicæ. Secus est, si homicidium perpetretur in loco publico, facta violentia, aut illata fuerit iniuria: hic etsi testes alii actu non intervenerint, quia tamen habitu tales intervenire potuerunt, FARIN. & CARPZ. *cit. l.* merito in regula persistimus, nulla unquam ratione locum relicturi testi macula inhabilitatis notato. Nam alias semper esset in potestate producentis, vel denunciantis petere, ut sibi, deficientibus nunc idoneis testibus, permittatur probare per eos, quos ad nutum paratos habet. Imo id inde absurdum & inconveniens sequeretur, ut sublata differentia inter regulam, & exceptionem, perinde esset, producat quis testes habiles, an vero inhabiles, quo tamen fieret sæpissime, ut casus omnis in alterius contumeliam contextus, propter difficultatem defensionis, innocentem in inquisitionem vocaret. FARINAC. *qu. 55. n. 65.*

§. XIV.

Alteram quæstionem nunc sistimus, an inhabilium testium depositio, casibus modo adductis, reum plene convictum reddat, quam penitius paullo disquirere, animus est. Loquimur autem hic de processu inquisitorio, non accusatorio: nam si ad querelam partis processus iste formatur, accusator cum probationibus idoneis paratus debet venire FARINAC. *q. 62. n. 71.* Cæterum licet non negemus, quod in crimine læsæ maiestatis testium inhabilium depositiones in vim plenæ probationis quandoque fuerint admissæ, scil. si numero eorum plures fuerint, quam duo, vel si fuerint duo,

duo, & cum eorum dictis concurrerint alia adminicula & circumstantiæ FARINAC. *c. l. n. 88. & 89.* tamen eiusmodi procedendi modum, cuius fatalia, præter ducem Parmenionem CVRT. *Lib. 7. cap. 2.* experti sunt alii & quidem recentiori ævo dux Wallensteinius, raro sine iniquitatis mixtura deprehendi & magis esse in facto, quam iure fundatum, ex præcedenti §. XII. facile patet. Quodammodo hunc procedendi modum comprobarem, si ageretur de probatione occulti criminis civiliter FARIN. *d. l. n. 32.* Quippe hic multi testes admittuntur, qui alias repelluntur, si in probatione criminis versabimur criminaliter CARPZ *p. 3. quæst. 102. n. 15.* & viva facit ratio, nam in criminalibus requiruntur probationes meridiana luce clariores, cum e contrario, si quis civili actione experitur, etiam minus plena probatio operatur condemnationem, ad pœnam arbitrariam minuendam, vel aggravandam, prout plus vel minus ab actore fuerit probatum, vide, quæ §. XI. iam dicta sunt. His vero nequaquam obstantibus, simpliciter dicimus, quod in caussis pœnam præcipue capitalem inferentibus, testes inhabiles fidei integræ non sint, nec ultra quidquam operentur, quam indicium ad inquisitionem generalem suscipiendam, seu assumendas pro iudice informationes. GRANZ. *cap. 5. m. 2. Sect. 3. art. 5. n. 614.* FARINAC. *q. 62. n. 267.* & hoc semper procedit, quando sumus in facto, ubi testes alii non intervenere, habitu tamen tales intervenire potuerunt: quando vero eius indolis obvenerit factum, ut nec præsumtive habiles interesse potuerint; assertum nostrum nititur veritate, si tantum probaverint, quantum sufficit invulnerabilem probasse, ad torquendum: sicuti etiam torturam decerni videmus, quando id præstiterint, quod in teste habili requiritur, ut ipsa condemnatio

demnatio queat locum habere. PROSP. FARINAC. *de Test. q. d. n. 79.* Atque hæc tam iuxta theoriæ regulas, quam praxeos observantiam sunt verissima, frustra dissentiente IVL. CLARO *in §. fin. q. 24. n. 19.* dicendo: contrarium, & melius apud se observari, quod in casu, ubi per idoneos veritas haberi nequit, haberi tamen posset, tanta fides ipsis tribuatur, qua, ut maxime non ad condemnandum in pœnam ordinariam, minimum tamen ad torquendum & pœnam extraordinariam devenire liceat: hac addita ratione, quod difficultas probationis, unde sumserunt Doctores conclusionem, testes inhabiles admitti debere, militet, quando testes alii non adfuerunt, licet adesse potuerint; sicut in se naturali rationi est congruum, ut tum eos adhibeamus, quando habitu tales plane non intervenire potuerunt: ita utroque casu unum idemque ius censetur statuendum. Verum inter casum & casum maxima intercedit diversitas, & paria non sunt, quæ ex contingentia, & quæ ex necessitate fiunt. Quo nomine permittitur quidem, propter casum necessitatis recedere a regula iuris communis, minime vero propter qualemcunque casum contingentiæ. Etenim, quod multi videre potuerunt, tum militat adhuc præsumtio, fore, ut, ni omnes, quidam tamen de facto testari valeant. Atque si contingit inter plures, quod actum, neminem vidisse, eo magis de facti veritate est, quod dubitemus, cum alioquin contra se inhabiles præsumtionem habeant, ex odio, inimicitia &c. falsum iurando, alios calumniaturos.

§. XV.

Hæc in genere: nunc specialia quædam circa testium inhabilium depositionem tradere animus est, præbente occasionem responso, ab illustri quadam facultate iuridica nuper

G dato

dato, ad iudæos, criminis sacrilegii reos, legitime convincendos. Quæstionem ex responsi sub finem huius dissertationis annexi No. 2. hanc primum petimus:

An, & quando socii criminis culpatio sortiatur effectum plenæ probationis?

Sciendum hæc verba: der in seiner Missethat Helffer gehabt CCC. *art. 31. pr.* vel uti loqui amat Königl. Böhmische neue Peinl. Halßg. Ordn. *art. 13. §. 20.* ubi: ein Lasters Mitgehülff: a nobis non intelligi restrictive, quasi solum is criminis socius esset, qui cum aliis auxiliatrices jungit manus, & pari delinquendi modo concurrit; sed declarative, ut hic socium designet, qui vel ulla ratione se negotio illicito immiscet, auxiliando, mandando, consulendo dolose, aut suadendo &c. *ordinat. criminal. onoldina in append. n. 1. in verb.* wann zwey oder mehr. *p. m. 5.* GRANZ. *c. 5. m. 2. Sect. 2. a. 5. n. 475.* Eiusmodi criminis socio, cum propter confessionem propriæ turpitudinis, ipso iure infamiam incurrat, *L. 3. §. 5. ff. de testib.* non creditur, sed, tanquam inhabilis testis, contra complices a testimonio repellitur; FARINAC. *q. 60. n. 386.* valde quoque suspectus videtur, dum periculum est, ne desperatus sine causa ad delationem confugiat *L. 18. §. 3. ff. de iur. fisci.* & nominet quandoque innocentissimum, vel potentiorem, vel tenuioris fortunæ sibi inimicum, sperando, facilius propter illius consortium se elapsurum, aut solatio sibi reputando, hunc malorum socium habuisse GRANZ. *c. 5. m. 2. s. 2. a. 5. n. 480.* Atque licet hæc confessio contra socium facta fallat sæpissime, ideo quoque idem iuris, quod in teste alio, ultro se offerente, statuatur; CARPZOV. *part. 3. q. 121. n. 31.* reiicienda tamen penitus non est, sed iudici inservire debet, pro suscipienda inquisitione generali,

qua

qua edoceatur, annon contra nominatum alia indicia & præsumtiones emergant, ut inquisitio specialis propterea formari queat. CARPZ. *q.108. n.58. q.111. n.32. it. q. 121. n.21.* BRUNNEM. *c.8. m.1. n.18.* GRANZ. *c. l. n. 487. & 408.* Hæc autem socii nominatio, sicuti nuda nec ad procedendum, nec ad inquirendum facit indicium, ita, si ultra quidquam, præter hominis præsumtionem debet operari, singularia quædam in socio denunciante attendenda esse, docet *CCC. art. 31.* So fern bey solcher Besagung nachfolgende Umstände und Ding gehalten, und erfunden würden/ hoc effectu, ut tum culpatus pertinax, instituta quæstione, de crimine specialiter interrogari possit. Misso nunc argumento, quo in se nullius momenti contraniti quidam student, quasi iste *art. 31.* torturæ mentione ibi non facta, interpretari debeat, de formanda speciali inquisitione, exigenda responsione & confrontatione (conf. GRANZ. *c. 4. m. 2. s. 2. a. 2. n. 82. p. m. 249.* ubi huic singulari opinioni sufficienter obsistit,) circumstantias ibidem recensitas, cum suis momentis altius ponderabimus: Imperator Carolus V. super præsumtionibus & indiciis remotis tradita regula, *articulo 29.* de indiciis proximis agit, cujus rubrica: gemeine unzweiffelhafftige Anzeigungen, deren iegliche allein zu Peinlichen Fragen genugsam ist, regi etiam voluit *sequentem 30. & 31. suæ Nemeseos articulum;* ubi demum de socio criminis verba facit, commendans quinque circumstantias, circa eiusdem depositionem advertendas. Requirit 1) ut inquisitus confessus, &, quod eodem recidit, legitime pariter de crimine convictus, interrogetur generaliter, an, & quinam eum in perpetratione delicti adiuverint? non vero particulariter & in specie, an non Titium, vel Sejum, criminis socios agnoscat? Quippe

 hoc

hoc non tam interrogatio, quam suggestio esset. *L. 1. §. 21. ff. de quæst.* quæ nullum contra nominatum ad torturam parit indicium; modo tamen non præcesserit causa, argumentum, vel præsumtio legitima; tunc enim omni iure licitam esse hanc interrogationem, post alios, testantur CARPZ *p. 3. q. 121. n. 30.* VRAN. *in lectur. ad capit. Veniens X. de testib. n. 22. p. m. 36.* FARINAC. *prax. crim. L. 1. T. 5. q. 43. n. 122.* GRANZ. *cap. 4. M. 2. f. 1. n. 135. p. m. 234.* ex hac ratione, quod non tam ratio hic ineatur nominationis, quam præsumtionum & indiciorum, quæ fidem & vim nominationi superaddunt. Adminiculum 2) est, ut reus facta denunciatione, ulterius interrogetur, quantumque fieri potest, de omnibus circumstantiis, non vagis & perfunctoriis, sed determinatis, & certo modo limitatis, an, ubi, quomodo & quando socius ipsi auxilium tulerit, quænam consilia, quæve colloquia inter se habuerint, wie/ wo und wenn ihm der Besagt geholffen, und was Gesellschafft er mit ihm gehabt §. zum andern. Separato examine cum alterutro ita peracto, iudex facile veritatem detegere, ac collata utriusque depositione deprehendere potest, an circumstantiarum proximarum nulla subsit diversitas, & verosimilia contra tertium proferant, an vero ficta utantur narratione *Nova ord. crim. onold. in append. pag. 6. n. 2. in verb.* In denen Hauptumständen ꝛc. Nam confessiones reorum, pro exploratis facinoribus haberi non oportere, si nulla probatio religionem cognoscentis instruat, ait VLPIANVS in *L. 1. §. 17. ff. de quæst.* quæ probatio omnino a verosimilitudine asserti dependet, ita, ut hac deficiente, nec quæstio recte instituatur. *L. ult. ff. de quæst.* In id 3) probe inquirat iudex, utrum, qui defert, cum socio mutuas gerat inimicitias, foveat invidiam, levitatis, rancoris,

ris, proterviæ, mendaciique nota &c. in ipso compareat. Nam tantum abest, ut liquidam & sinceram credas depositionem eius, qui livido pectore eam protrudit, ut potius eiusmodi testimonium nullo iure attendatur, nec in casu difficillimæ probationis, aut quia Princeps ita voluit, aut denuncians culpationem tortura, vel S. Eucharistia se confirmaturum, dixit, FARIN. *de Test. qu.53. n. 7. 9 10. 11.* Dann wo solche Feindschafft, Unwillen, und Wiederwärtigkeit öffentlich wär, oder erkündet würde, so wäre dem Sager, solcher Sag wieder den Besagten nicht zu glauben. Atque adeo suspectus est inimicus, ut nec denunciatio ipsius, si cum nominato redierit in gratiam, integra censeatur, quia veteris odii reliquiæ non statim animo excidisse præsumuntur, sed dum alta mente repostæ manent, data quacunque occasione, vindictæ studium resuscitare valent. Si vero denuncians, vel inimicus reconciliatus, causis, argumentis & signis probabilibus docere potest, se non odio, sed veritatis amore indicasse socium, audiendus est, prout clara sunt Imperatoris verba: Er zeige dann deßhalb sonst glaubliche, redliche Ursach und Wahrzeichen an, die man auch in Erkundigung erfinde, die eine redliche Anzeichung machen. §. Zum dritten. Respiciendum 4) an non persona nominata eius deprehendatur farinæ, ut suspicio criminis in eam possit cadere §. zum vierdten. Daß die besagte Person also argwöhnlich sey, daß man sich der besagten Missethat zu ihr versehen möge, quod facile apparet ex aliorum attestationibus, qui culpatum forte frequentius comitem & familiarem cum inquisito viderunt, vel in perpetrato crimine præsentem aucupati sunt *Ord. cr. Onold. d. append. n. 4. & 5. pag. 6.* vel alias vita anteacta pessimæ notæ, nomen suspectum, fama turpis, vitæ conditio vilis, & con-

 tempta

tempta &c. reperitur: nam vita nequiter & flagitiose gesta, semper iustam inducit suspitionem. GRANZ. *c. 4. m. 2. s. 1. n. 144. pag. 234.* BRVNNEM. *cap. 8. m. 5. n. 2.* sicut vita decora & honesta, omnem suspicionem contrariam elidit, & certissimum præbet innocentiæ argumentum, *L. 10. §. 5. ff. de quæst.* Necessum est 5) ut denuncians constanter & intrepide in nominatione perseveret. So soll der Sager auf der Besagung beständig bleiben. §. Zum Fünfften, h. e. ut confessus non tantum in loco tormentorum, sed extra illum, ubi nihil, quod amplius terrorem, aut metum inferat, oculis est obvium, confessionem sponte repetat, & citra quam aliis comminationibus sit opus, aut deterreatur a revocatione, quæ dixit asseveranter ratum habeat, ita quidem, ut nec, aliquid mutando, vel emendando, latum unguem inde recedat, Quippe varius & vacillans, nunc affirmans, mox negans, a periuro parum differt, ac proinde nullum ad inquisitionem, nedum ad torturam, indicium sufficiens faciet, CARPZ. *p. 3. qu. 121. n. 36.* GRANZ. *cap. 4. m. 2. s. 1. n. 142.* Hæc sunt, quæ, si veri habent speciem, correum ad quæstionem vocant, nec ultra sanctionis huius præscripta, uti vult BERLICHIVS *P. 4. concl. 4. n. 117.* necessum arbitramur, ut iuramento testetur nominans, se id, quod res est, ex animo & vere dixisse. Etenim, quod Imperator *d. art. 31.* nullam iuramenti fecerit mentionem, non causa præcipiti, sed mente deliberata videtur eam omisisse, haud ignorans, frustra iuramentum super iis exigi, quos iam maleficos, & homines nequam esse liquido constat. vid. ZANGER *de quæst. cap. 2. n. 72. & omnino* CLASEN. *ad d. art. 31. p. 66.* ubi multis argumentis nostram sententiam adstruit. Sane momenta dicti articuli satis stringunt, quæ si in delinquente vera inveniuntur,

untur, non poteſt non inde naſci fortiſſimum indicium, cui nihil deeſſe amplius videtur, niſi ipſa rei confeſſio, qua accedente, probatio evadat plena, & conſequenter ordinaria pœna locum habeat.

§. XVI.

Egregie cum iis, quæ nunc expoſuimus, concordat Königl. Böhmiſche neue P. H. O. cuius conſtitutionis *Art. 13. §. 20. & ſeqq.* cum eo usque procedat, ut præter contenta *Art. 31. Nemeſeos Carolinæ*, pauca ulterius commendans, etiam plenam probationem determinet, nominatique urgeat condemnationem; operæ erit pretium, iſtum convincendi modum altius nobiscum penſitare. Ait ſacratiſſimus imperator IOSEPHVS *d. a. 13. §. 20.* Demnach biß anhero wegen der Auſſage, eines Laſters Mitgehülffen, nicht ein geringer Zweifel geweſen, in wie weit ſolche Auſſagen bey Gericht zu beobachten, und ob auch in Peinlichen Sachen ein Halß- oder auch Bey-Urtheil, nehmlich zur peinlichen Frag, hiernach könne geſchöpfet werden. Extra dubium eſt illa regula: quod nuda ſocii denunciatio, nec ad procedendum, nec ad inquirendum ſufficiens producat indicium, cum plerumque is, qui confitendo ſibi non pepercit, raro aliis parcere velit, *L. ult. §. ſic autem 6. ff. de bonis eorum, qui ante ſent.* ſolatium, cum inter malleum eſt atque incudem, ſibi inveniſſe, credens, ſocios habuiſſe malorum, quorum forte etiam ope delictum ſuum, doli, culpæque partem in alios transferendo, minuere poſſit CLASEN *ad all. art. 31.* Dum igitur tam ſuſpecta habetur ſocii delatio, non, niſi præcedente adminiculo alio, eam ſufficientem exiſtimarunt Doctores, ex qua ſpecialis inquiſitio contra tertium formaretur, FARINAC. *Lib. 1. Pract. crim. Tit. 5. qu. 43. n. 125. & ſeqq.* ZANGER

GER *in d. Tr. c. 2. n. 48.* Ad torturam autem reo imponendam cum pertineat semiplena criminis probatio, facile apparet, diu inter iuris peritos fuisse disceptatum, quomodo argumenta socii, utpote testis non integræ vitæ, debeant esse comparata, antequam nominatus torturæ subiiciatur. Also wollen wir fürohin dieses dergestalten erläutert haben, daß, falls nachfolgende fünff Umstände, sich bey eines Lasters Mitgehülffen einfinden würden, derselbe vor einen vollkommenen Zeugen gehalten, und auf seine Aussage eben also, iedoch mit Beobachtung dessen, was unweit hin folgen wird, absonderlich aber bey denen unmittelbahren Inquisiten, wie auf eines andern untadelhafften Zeugens Bekänntnüß könne geurtheilet werden. Notamus hic, sicut alias testis unicus ad condemnandum reum non est sufficiens; ita tantum abest, ut, nobis persuadeamus, imperatorem ex unius socii depositione eo usque legitima, quæ ipsius respondet constitutioni, inquisitum convinci voluisse, ut potius, quod hic articulus saltim unius respicit testificationem eines Lasters Mitgehülffen, & alibi bey eines Lasters Mitgehülffen: ex hac semiplena probatione tantum tormenta a iudice decernenda esse, satis clare ipsa textus verba innuant: und ob auch in peinlichen Sachen ein - - Bey-Urtheil nemlich zur peinlichen Frag könne geschöpft werden. Nostra autem quod nunc maxime interest, bene in sequentibus *d. art.* enodat, constituendo, inprimis attendendum esse numerum sociorum deponentium, ita ut nemo pro convicto censeri, nedum condemnari debeat, nisi testimonio, ad minimum duorum, facta fuerit delatio: Quæ vero & hanc munire debeant adminicula, ordine recenset hæc: §. 21. Nemlich: Erstens solle diejenige Person, auf welche der Mitgehülff eine Missethat bekennet,

also

also beschaffen seyn, daß man sich gegen ihr gar wohl derley Unthat versehen könne, das ist: wieder welche annoch anderwärtige Vermuthungen vorhanden seyn, die eine zimbliche præsumtionem, des, sothaner Person zugemutheten Lasters, verursachen. §. 22. Andertens, die angegebene Person dem Sager nicht mit Nahmen oder eigentlich vorgehalten, sondern die Frag gantz general, und bloß allein von der That, und derselben Umständen eingerichtet gewesen, und hierauf diese, oder jene Person vor einen Mitgehülffen benennet worden seyn: Als dann, §. 23. Drittens, solle der Sager gar eigentlich über alle Umstände, Gelegenheit, Gesellschafft, Zeit, Ort rc. gefraget, und wenigstens ein oder andere Umstand durch anderwärtige Wegé versicherter erhoben, und keiner vor unwahr erfunden werden. §. 24. Viertens wird erfordert, daß dem complici sonsten gar nichts anders, was ihm von der Zeugnüß verwürfflich machte, entgegen gesetzt werden könne, als allein, daß er ein Lasters Mitgehülffe seye. Cum hactenus commemorata exacte respondent ordinationi carolinæ, gramben bis coctam, repetendo, quæ iam supra diximus, apponere velle, superfluum forte atque absonum videretur. Id tamen, quod hic singulare deprehendimus, sicco pede pertransire nolumus: Etenim de eo: Daß dem Complici sonst gar nichts, was ihm von der Zeugnüß verwürfflich machte, entgegen gesetzt werden könne, altum est silentium in ord. Caroli V. quod tamen prudenter hic insertum legitur. Denunciandi quippe illud studium, non a sola proficiscitur inimicitia, invidia &c. sed finge etiam arctissimum amoris inter nominantem, nominatumque intercedere vinculum, si denuncians antea erit falsi, mendaciorum, periurii, blasphemiæ &c. convictus, omnino periculosum est, assentiri ipsius dictis.

 Nam

